

## § 72.

## Sententiae de natura et terminis (objecto) inspirationis.

1. — Circa *naturam* inspirationis duplex error prodiit: alii eam *mere negativam* esse contenderunt, alii *cum infallibilitate confuderunt*.

1. Jam *Sociniani et Ariminiani* ad inspirationem satis esse dixerunt, si Spiritus Sanctus *errores*, eosque tantum graviores arceat. Ex catholicis *Jahn* docuit inspirationem esse actionem mere *negativam*, quae errores impedit, verum nova non revelet. Talis inspiratio etiam *concomitans* vocatur. Idem fere senserunt *Richardus Simon, Calmet, Du Pin, Janssens*, imo eadem sententia minus juste etiam *Bellarmino et Cornelio a Lapide* nonnunquam attribuitur.

2. *Lessius, Hamel* et praecipue *Bonfrère* ad notionem inspirationis sufficere existimarunt inspirationem *consequentem* vel potius approbationem supervenientem.

*Lessius et Hamel* (S. J.) sequentes defenderunt theses: a) non est necessarium credere singula verba S. Scripturae esse inspirata; b) singulas veritates immediate scriptori esse inspiratas; et c) librum aliquem, uti II. *Machabaeorum* librum, humana industria sine assistentia Spiritus S. scriptum, effici scripturam sacram, si Spiritus S. postea testetur, nihil ibi esse falsum. (Prima et secunda thesis potest bonum habere sensum; tertia absolute falsa est.)

## Respondemus

ad 1. In S. Scriptura non solum doctrinae et facta traduntur, quae ratio humana suis viribus cognoscere potest, sed etiam talia, quae humanam rationem absolute latent vel superant, et quae scriptor nisi ex revelatione positiva, cognoscere non potuit. In multis quidem Scripturae libris inspiratio negativa sufficit, e. g. in libris historicis ab ipsis testibus scriptis, vel ex fontibus fide dignis haustis; at in prophetiis vel mysteriis inspiratio positiva absolute necessaria est.

ad 2. Sententia inspirationis consequentis confundit inspirationem cum infallibilitate. Liber enim consequenter inspiratus infallibilis et divinae auctoritatis particeps esset, sed verbum Dei et opus inspiratum appellari non mereret. Auctoritate quidem librum inspiratum aequaret, sed non honore ac virtute.

Praeterea sententia tum inspirationis negativae tum consequentis repugnat decreto Concilii Vaticani (Sess. III. c. 2. de revel.) supra p. 192. citato.

2. — Etiam de *limitibus* seu de *objecto* inspirationis variae opiniones falsae exstiterunt. Nempe quum libri sacri elementum divinum et humanum habeant, quaeritur: quousque pertineat elementum divinum, et ubi incipiat elementum humanum.

1. Inspirationem *litteralem* defendebant antiqui protestantes usque medium saec. XVIII. Nonnulli (Buxtorf) inspirationem in ipsas interpunctiones et signa accentuum extendere voluerunt. Nullum ergo elementum humanum in libris sacris agnoscentes, scriptores sacros pro instrumentis Dei mere passivis habuerunt.

2. Alii inspirationem *ad res fidei et morum* et res cum iis necessario conjunctas restrinxerunt; in aliis e. g. rebus historicis nonnisi humanam auctoritatem errori obnoxiam scriptoribus sacris tribuentes. Ita *Erasmus, Holden, Hugo Grotius, Lenormant et quidam Galliae theologi*.

## Respondemus

ad 1. Sententia inspirationis *litteralis* a) repugnat *naturae* inspirationis. Auctor inspiratus non est instrumentum Dei mere passivum, quod nihil ex propriis operi scribendo addat. Ordo enim supernaturalis naturalem, operatio divina cooperationem humanam non tollit. b) Repugnat *fini* inspirationis, qui est homines religionem, mores et historiam salutis, — non autem orthographiam, grammaticam vel elocutionem — docere. Deus sapientissimus superflua non agit. Atqui formam, stylum, litteras, imo interpunctiones et accentus scriptori sacro inspirare manifeste superfluum esset; tum quia haec ad revelationis essentiam ac finem nihil conferunt, tum quia naturalem scriptoris facultatem non excedunt. — Huc accedunt *facta*. c) Si omnes litterae S. Scripturae inspiratae essent, certe omnes libri sacri idem *dicendi genus* haberent, scilicet stylum Spiritus S. communis omnium auctoris. Verum libros sacros diversum stylum habere inter rei peritos constat. d) Si inspiratio *litteralis* esset, auctores sacri *nullo studio* indigerent, nec *opere laborioso* scriberent. Atqui auctores sacros studium et laborem adhibuisse patet II. Mach. 2, 24. sqq. 27. sqq. et Luc. 1, 3. e) Auctor libri II. Mach. (15, 39.) expresse *sibi ipsi vindicat stylum*, quem optat esse bonum, fortasse minus bonum excusat veniamque erroris petit. Similiter fere II. Cor. 11, 6. f) In sacris Scripturis manifesta *linguae et elo-*

cutionis *vitia* inveniuntur, quae si omnes litterae inspiratae essent, Spiritui Sancto essent tribuenda. *g)* Si omnes litterae inspiratae essent, *textus originalis a versionibus auctoritate multum differet*; in illo enim omne, in istis non nisi argumentum esset inspiratum. Sed tali distinctioni obstat usus auctorum Novi Testamenti, qui Antiquum Testamentum secundum versionem Alexandrinam citant, hujusque verba pro Dei verbis habent; item obstat praxis ecclesiae, quae versionibus ut libris inspiratis utitur.

Ad 2. *Inspiratio in res fidei et morum coarctata repugnat*  
*a)* Concilio Tridentino, quod (sess. IV. de can. script.) expresse docet, S. Scripturam cum omnibus suis partibus esse inspiratam, partes certe non solum physicas, sed etiam logicas i. e. argumenti genera intelligens. *b)* Quum auctor S. Scripturae principalis sit Spiritus Sanctus, omnis error vel minimus, licet in rebus profanis commissus, *Spiritui Sancto imputandus esset*; quod manifeste absurdum esset et auctoritatem Scripturae etiam in rebus fidei et morum everteret. *c)* Argumentum religiosum ac morale ab argumento profano *internoscere saepe vix possibile est*. Multa enim tum profana, tum religiosa haberi possunt, vel revera ad utrumque genus pertinent. Alia certe profana cum rebus fidei et morum inseparabiliter conjunguntur. Quis ergo in hac re terminos erroris possibilis constitutus? et quis discernere possit argumentum errori obnoxium atque infallibile? *d)* Res quae in S. Scriptura profanae videntur plerumque *relationem habent ad religionem et mores* vel ad historiam revelationis, itaque mediate ad fidem et mores pertinent.

3. — *Ecclesia catholica* inter sententias contrarias medium quendam cursum tenet. Inspirationem litterarum non docet. Literae ergo, interpunctiones, accentus, orthographia, lingua (lexicon, grammatica), voces, phrases, elocutio sunt auctorum humanorum vel amanuensium propria, et ad partem inspirationis humanam pertinent. Tantum in locis, ubi auctor sensum a Spiritu S. intentum non intelligens verbum idoneum non invenisset, credendum est Deum ipsas voces scriptori suppeditasse; e. g. in mysteriis, prophetiis et in sensu spirituali.

Inspiratio ergo plerumque et necessario *in argumentum dumtaxat orationis pertinet*, sed in *omnes argumenti partes et physicas et logicas*: in argumentum cuiusvis pericopes, versus et vocis, sive religiosum ac morale sive profanum. Materia tamen *profana* (e. g. *historica*), quam auctor naturaliter nosse potuit,

vel Spiritus S. ex professo revelare non intendit, nonnisi negative est inspirata.

Omnis ergo partes S. Scripturae sunt inspiratae, sed *non aequaliter*. Gradus et modus inspirationis pro diversitate argumenti diversus est. Sunt partes, in quibus inspiratio est *positiva* revelatio rerum ignotarum; tales sunt prophetiae, typi, loci de mysteriis (dogmatibus puris), de legibus divinis positivis et de factis a sensibus ac memoria hominum remotis (e. g. historia creationis) scripti. In aliis rebus e. g. historicis, auctori (experientia vel testimonio) cognitis, revelatio positiva esset superflua; ideo in his inspiratio est mere *negativa*, quae auctorem movet, regit et ab errore tuetur. Quis enim credit, Moysen historiam exitus vel legislationis Sinaiticae, quorum dux vel auctor fuerat, a Spiritu S. edoctum esse.

#### ARTICULUS SECUNDUS.

##### Absoluta Scripturae veracitas.

###### §. 73.

###### Vis et limites veracitatis.

1. — Fides humana et historica, quamvis maxima, quae haberi possit, nec absolutam doctrinae veritatem arguit, nec minores errores circa facta penitus excludit; errare enim humum est, et ipsis scriptoribus diligentissimis nonnunquam accidit. Inspiratio autem divinam auctoritatem et absolutam dictorum veritatem Scripturae impertit, eamque quasi omniscientiae, infallibilitatis ac veracitatis divinae participem reddit. Consequens est, Scripturam in nulla re falsum dicere posse. Vim absolutae veracitatis declarant propositiones sequentes.

*Propositio I. Sententia biblica hermeneutice vera etiam objective vera est.* Quod igitur Scriptura certe continetur, certe verum est. Vice versa: *sententia objective falsa etiam hermeneutice falsa est.* Cavendum tamen est, ne quod supra rationem est, rationi contrarium et falsum habeatur. Hinc manat

*Regula: Omnis interpretatio, quae concedit S. Scripturam errare vel mentiri, est falsa ac rejicienda.* Si enim Scriptura falsum diceret, auctor ejus Deus falleret vel falleretur, quod absurdum est.